



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

Prologus libri de discipulis Domini Florentij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

xerit & non curauerit, timeo, quòd grauius punietur.

15. Oprans in humilitate proficere, saepe debet sibi dura & despecta proponere: & semetipsum arguere, iudicare, & condemnare, & secretis cogitationibus suam vilitatem considerare; vt adueniente humilitatione, sciat patienter contemptum pati. Cum sentis inuidiam, vel suspicionem, aut vanam gloriã, responde tibi ad intra, & dic: Pro pudor, quòd tu adhuc tam miser & tam debilis es, quòd ex aliorum profectu deficeis, & deterior efficeris. Sicque intus temetipsum humilia & confunde, & fugiet diaboli tentatio à te, qui solet talia ingerere. Magno labore oportet nos contra carnalia pugnare, si volumus ea vincere. Rarò vel nunquam comedimus, quin diabolus insidietur nobis. Igitur semper vigilemus, & oremus, quia aduersarius nunquam dormitat, sed vndique nos impugnat.

LIBER DE
VITIS DISCIPVLORVM
DOMINI FLORENTIJ.

Prologus libri de discipulis Domini Florentij.

Via Deo donante, de venerabilibus Patribus ac illustribus viris, Magistro Gerardo & Domino Florètio, quaedã virtutum opera, secundum tenuitatem ingenij mei, imposito sermone descripsi: restat nunc consequenter, prout memoriae occurrit, de eorum discipulis aliqua assignare, quæ simplicium fratrum vitam & mores valeant humiliter informare. Hi etenim seculi pompam & carnis molliem vitiliter calcantes, Christum sectati sunt per arctam viam, quæ ducit ad vitam, vt non immundò celi luminaribus compareant. Nam maximam multitudinem fidelium virtutibus suis illustrarunt, quam ad bene agendum, dum adhuc viuerent, exhortari non cessarunt: Ideoque pia eorum in Christo conuersatio, non est penitus silenda, sed ad instructionem paruulorum, pandenda sunt facta eorum veneranda.

Notitius.

2. Rogo te obnixè, vt de tam praeclaris viris, saltem paucas deuotionis scintillas, in lucem proferas, quibus accendi valeam ad virtutis amorem: quatenus ex auditu modernorum, nouæ conuersationis statum accipiam. Nam plerique poetarum, gesta scripsere gentiliū, pro qualicumque utilitate legentium. Quãto magis ad consolationem religiosorum, recitare debes exempla

pla

pla feruorū Dei, qui de mundo triumpharunt: vt boni in melius
semper proficiant, & pigri de torporis lectulo citius suscitentur.

3. Si me digneris audire, dicam quod non parum te a disiect Senior.
in præsentī. Eos tibi proponam, qui non tantum virtutis nomē,
sed cum bono nomine, vitam tenuerunt virtutibus claram. Sed
iam, prohi dolor, aliqui sunt, qui primo feruore derelicto, eua-
gationes diligunt, vaniloquijs delectantur, propriam sapientiam
primis Patrum nostrorum institutionibus præponunt: & ad sua
desideria explenda callidis argumentis pro sacris legibus vtun-
tur. Quorum stultam præsumptionem omnimodè caueas, &
probatorum patrum humiles mores habitumque attendas: qui
in diebus nostris, sub disciplina R. P. Domini Florentij, Dauē-
trix emicuerunt. Det igitur nunc gratiam proferendi ea, quæ æ-
dificationis sunt, quatenus præsens hic sermo sic simplices &
humiles fratres erudiat, vt Christum sequi in Religione cupien-
tes, omnem seculi curam perfectè abijciant: & tales in feruore
deuotionis & sactæ simplicitatis subiectione esse studeant, qua-
les isti deuoti virtutum viri omni studio prædicandi exiterūt.

Capita eorum quæ in hoc libro tractantur.

D E prima congregatione clericorum in Dauentria.	Cap. I.
De domino Ioanne Gronda.	II.
De domino Ioanne Brinkerinck.	III.
De domino Luberto Berneri.	IV.
Scriptum domini Amilij de felici obitu eius.	V.
Collecta quadam ex deuotis exercitijs domini Luberti.	VI.
De domino Henrico Brune.	VII.
De domino Gerardo Sutphanienfi.	VIII.
De domino Amilio de Buren.	IX.
Exhortatio eius de mutua charitate seruanda.	X.
De domino Iacobo Vianenfi.	XI.
De Ioanne Ketel humili coco.	XII.
De deuotis exercitijs eius.	XIII.
De Arnoldo Schoonhottia deuoto clerico.	XIV.

CAPVT I.

De prima congregatione clericorum in Dauentria.

In Onorum probitas (vt ratio dicitur) laudem dignam v-
bique meretur. Nam qui in vita sua laudabiliter vix-
erunt, post mortem quoque obliuioni tradi non debent. Siqui-
dem ad solatium viuorum, actus iustorum recensendi sunt,
&